



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum  
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

**Laymann, Paul**

**Dilingae, 1698**

Capitulum XXIX. Si cui.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

Si cui.

PARAPHRASIS.


Si Papa absolute mandaverit Titio provide-  
ri præbendam proximè vacantem, po-  
stea autem vacet præbenda sacerdotalis,  
Titius verò non habeat aetatem ad sa-  
cerdotium requisitam; hoc in casu non  
potest ipsi ea præbenda conferri, sed de-  
bet aliam expectare.

SUMMARIUM.

1. Beneficia, juxta varios Ordines, quos  
actu, vel in potentia proxima requi-  
runt, varia sunt.
2. Per verbum aliquod generale in rescri-  
pto positum, non censetur derogare  
Pontifex particularibus Ecclesiarum  
statutis.

**N**otandum primò. Beneficia ex juris  
communis, aut particularis constitu-  
tione, alia sunt Sacerdotalia, quæ in provi-  
so Sacerdotij Ordinem requirunt, actu, vel  
proximè aptitudine, prout explicavi lib. 4.  
tract. 2. c. 4. n. 2. alia verò Diaconalia &c.

**N**otandum secundò. Non censetur Pa-  
pa per aliquod verbum generale, positum  
in rescripto, derogare velle communi juri,  
aut statuto particulari Ecclesiæ, sed opus  
est expressione speciali, idque verum est se-  
cundum Ancharan. & Dominic. hic in Gl. 1.  
tametsi clausula adjecta sit, non obstantibus  
aliquibus, per quæ gratia effectus impedi-  
ri possit; non enim per talia verba generalia  
dispensatio, aut juris derogatio induci cen-  
setur, juxta ea, quæ supra docui in c. si mo-  
tu n. 25. hoc lib. & tit. sed opus est, ut in spe-  
cie exprimaturs personæ inhabilitas, seu de-  
fectus, in quo dispensatur; aut jus, seu  
statutum, cui derogatur, quamvis contra-  
rium sentiat Gl. hic. V. simpliciter. Lapis  
in cit. c. si motu. & videri potest idem  
Lapis hic n. 11. Franc. n. 4.



Si pauper.

PARAPHRASIS.

Papa mandavit Episcopo in forma paupe-  
rum, ut Cajo pauperi Clerico beneficium  
secundum merita prohibitis ejus confer-  
ret. Accidit verò, ut idem Cajo, an-  
tequam mandatum executioni daretur,  
beneficium consecutus fuerit. Hoc in  
casu non potest Episcopus vi mandati  
hujus, quippe cessante jam causa manda-  
ti, beneficium Cajo conferre.

SUMMARIUM.

1. Mandatum de beneficio conferendo  
executioni mandari non potest, sed  
cessat, cessante causa finali, ac prin-  
cipali; non autem mandatum exe-  
quendi, seu de mittendo in posses-  
sionem beneficij jam collati.
2. Non censetur Papa intendere manda-  
to suo de providendo, ut beneficium  
novum illi conferatur, qui jam aliud  
ad sustentationem sufficiens habet;  
probabilis tamen etiam est contraria  
sententia.

**N**otandum. Cessante causa finali, ac  
principali, mandati, cessat mandatum,  
nec executioni tradi debet. Ita docui ab-  
leg. hoc cap. lib. 1. tract. 4. c. 22. n. 14. nam  
literæ beneficiales, quæ dantur in forma  
pauperum, etiam literæ justitiæ appella-  
tur, sicuti explicavi in c. postulasti 27. de  
rescriptis, quia non sunt merè gratiosæ,  
sed debent aliquo modo ordinari Clerico,  
si nec patrimonium habeant, nec benefi-  
cium, ex quo honestè se alere queant, prout  
ex communione tradit Abb. in cit. c. pos-  
tulasti. n. 3. Itaque finalis, & principalis  
ratio mandati in forma pauperum, est pau-  
pertas, seu inopia Clerici; quæ cessante, vi-  
delicet beneficio sufficiente adepto, man-  
datum de providendo executioni tradi non  
debet.

Loquor autem de mandato providendi,  
adeoque beneficium pauperi conferendo;  
alia